

« nomine veniet, nec aliam, quam meam doctrinam, quasi legatus meus vobis exponet. » Theophylactus hanc habet observationem, quod videlicet Apostoli Magistrum suum jam antea dicentem audierint: « Unus vester est Magister Christus, ut ne existiment: Quia unus magister tu es, quomodo dieis nobis et alium magistrum fore Spiritum? » subdit: *Quia de meo accipiet, hoc est, ex his que novi et ex mea scientia, vel de meo thesauro, qui scilicet Patris est.* Nazianzenus ita exponit verba *de meo accipiet*, id est, « meam essentiam

« divinam, meam voluntatem et scientiam. » Dydimus ita hac de re scribit: « Dans Filius, non prius vatur his que tribuit, nec cum damno suo impartitur aliis; nec Spiritus Sanctus accipit, quod ante non habuit, sic est intelligendus Spiritus Sanctus a Filio accipere, ut a cognoscatur dantis et accipientis substantia, sic et Filius a Patre accipit ea, in quibus subsistit. »

7. — Cajetanus ait: « De essentia mea, de sapientia mea, de scientia mea; monstrat quod Spiritus Sanctus procedit ab eo. »

DOMINICA QUINTA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XVI, VERS. 23-30

23. Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
25. Hæc in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.
26. In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.
27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi.
28. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.
29. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.
30. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget; in hoc credimus, quia a Deo existis.

VERSUS 23.

Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Amen, amen.

1. — Quia hic de promissione quadam agebatur tanti momenti, quanti est illud, in celesti signatura gratie datum omnium supplicationum nostrarum favorabile scriptum, ideo de illa nobis infallibilem quadam dare voluit certitudinem, dicendo: *Amen, amen dico vobis:* « quasi dicat, » inquit Lucas Brugenis, « certissimos facio. » S. Cyrillus Alexandrinus, in *Joan.*, ait: « Cum discipulos ad postulanda spiritalia dona hortaretur, simulque eorum fructuorum, si petierint, fiduciam traderet, addito, *Amen*, ad fidem confirmat. » Hugo Cardinalis verba hæc vim juramenti habere notat: « Quod est juramentum, ut de impetratione certi simus, quia dubitatio impedit orationem: *Postulet in fide nihil hesitans, Jac.*, 1, 6; » simulque rationem reddit, cur *Amen* istud bina vice replicaverit: « Bis dicitur *Amen*, propter duplicem certitudinem; « homines enim in promissis solent dupliciter decipere; aut omnino non reddendo promissum, aut

« diminuendo; sed Dominus quod promittit, solvit: *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita;* et etiam ultra promissa reddit. » Execræ olim hostilem exercitum, Jerosolymam nunquam ingressurum esse promisit; nec tamen eo quod promiserat, minime contentus, in una eademque nocte per manum Angeli, in hostili exercitu centum octoginta quinque millium virorum stragem instituit. Salomon præter sapientiam, quam solum a Deo petierat, innumeris insuper ab eo cumulatus est divitiis; unde verissimum semper manet, quod dicit Apostolus, *Eph.*, 11, 20: *Ei autem, qui potens est omnia facere super abundantem quam fecimus, unde Ecclesia in Collecta, que in Dominica XI post Pentecosten legi solet, ita orat: « Omnipotens semper piterne Deus, qui abundantia pietatis tue merita supplicium excedis et vota. »*

2. — Porro Evangelium, quod Ecclesia nobis in hac festum Ascensionis præcedente Dominica proponit, mysticum plane est et quidem Christus in eodem Eliam imitari velle videtur; hic enim priusquam in curru igneo in caelum rapereur aereum, Eliseo dixit, *Reg.*, 11, 9: *Postula quodvis, ut faciam tibi, antequam tollar a te;* idem namque Christus collegio Apostolico et toti fidelium congregationi

dicere voluisse videtur et ideo non sine mysterio, hoc sequenti triduo tot instituantur processiones, in quibus per recitatas publice Litaniis, supplicationibus et precibus nostræ ad divinam Majestatem diriguntur.

Dico vobis.

3. — Valde considerabilis est illa circumstantia, Vobis, hæc enim de orationibus exaudiendis infallibilis promissio, Apostolis facta fuit, qui in divinæ gratiæ possessione constituti, amici Dei erant; ac proinde dubium quoddam hoc loco controverti posse videtur, an ad hoc, ut intentum nostrum oratione mediante apud Deum obtineamus, necessarium nobis sit in gratia nos positos esse; siquidem in S. Joanne, ix, 32, scribitur: *Deus peccatores non exaudit;* quia tamen hoc ipsum cæcus ille nondum perfecte illuminatus, dixit, dicere quis non immerito posset, plenam ei hac in parte fidem adhibendam non esse et ideo in Psalmo, lxxv, 18, expressius dicitur: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Scio equidem non defuisse Doctores opinantes, necessarium non esse ad hoc, ut precibus nostræ exaudiantur, ut simus amici Dei, quia infallibilitas orationis non fundatur in dignitate et merito orantis, sed in divina misericordia et promissione. S. Thomas citat S. Augustinum, Publicani exemplum adducentem, qui dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori;* et Chrysostomus, qui super Mattheum ita scribit: *Omnia quæ petit, accipit, sive justus sit, sive peccator.* S. Thomas autem distinctionem quandam adhibet: in peccatore enim considerari potest natura, et hanc Deus amat: et culpa, quam Deus summo prosequitur odio; atque ideo si peccator in oratione sua rem aliquam postulet ad peccatum ordinatam: « In hoc a Deo non exauditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam; orationem vero peccatoris ex bono nature desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia, observatis tamen quantum præmissis conditionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter. »

4. — Certum nihilominus est, quod ad hoc ut oratio sit efficax, suumque assequatur intentum, orantem in gratia esse expediat, *Prov.*, xxxiii, 9: *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis;* et hæc dicta veritas a S. Joanne apertis verbis exprimitur, dum ait: *Quoniam si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quod, quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* *Joan.*, xi, 21, 22.

5. — Considerari etiam hoc loco mereatur, quod hæc promissio facta fuerit toti collegio Apostolico, quod Ecclesiam seu universam fidelium congregationem præfigurabat; et hæc infallibiliter precum suarum obinet intentum; unde D. Chrysostomus,

Hom. 11 in II ad *Cor.*, ait: « Deus frequenter revertitur multitudinem unanimum et consentientem in precando, ut velut pudore victus, non audeat illis denegare. » Quæ proinde promissio in S. Mattheo, xviii, 19, expresse legitur, scripta his verbis: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est.*

Si quid.

6. — S. Augustinus, *tract. cii in Joan.*, in *Catena* citatus, ait: « Hoc, quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligitur, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ comparatione sit nihil. » Albertus Magnus quoque, in *Joan.*, illud, *si quid*, ponderat, et dicit: « Hoc est, *si aliquid est*, quod petitis, quia malum et vanum nihil est, bonum etiam temporale in se vanum est. » Hugo Cardinalis similiter dicit: « Si *quid*, hoc est, *aliquid*, in quo ostenditur quid sit petendum, scilicet vita æterna, quæ est quid; non temporalia, quæ nihil sunt. » Quidquid est in hac universi mole, boni, pulchri, aut pretiosi, super nihilo fundatur, *Job.*, xxvii, 7: *Appendit terram super nihilum;* eo quod cunctæ felicitates terrenæ purum quoddam nihil sint, adeo ut Salomon, qui se jactaverat, *Eccle.*, ii, 10, dicens: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non denegavi eis,* postea tamen, *Eccle.*, v, 11, aperte fassus fuerit: *In omnibus vidi vanitatem, et nihil.*

Petieritis.

7. — Theophylactus observat quod Dominus in procielo constitutus, ut ab Apostolis separaretur, eosdem prius per hanc promissionem de dandis in omnibus quæ in nomine ipsius postulata fuerint, consolari voluerit, quasi diceret: « Non enim, quod separer a vobis, existimate vos a me relictos, sed nomen meum majorem vobis fiduciam dabit, et gaudium vestrum tunc erit plenissimum, cum accipietis omnes petitiones. » Idem quoque Albertus Magnus his verbis scribit: « Consolatur discipulos, quod promptus et paratus est ad exaudiendum omnes petitiones eorum; enimvero prudens lector hoc loco attendat, quod Christus dixerit: « *Si quid petieritis Patrem,* » quia discessurus ab eis per præsentiam corporalem, ut se daret in mortem, ab æque resuscitatus, æternam Patrem suum in locum suum substituere voluit, promittitque hunc in nomine suo, id est, ex amore, quo erga eum fertur, eis favorabilem semper futurum esse. »

8. — Jansenius, *cap. cxxv*, super verbum illud: *Petieritis*, se reflectens, dicit: « Petere est desiderare, et desiderium actus est, non oris, sed animi et voluntatis; non orant ergo, neque petunt Patrem, qui ore tantum preces pronuntiant, et non etiam ex animo, id quod ore petunt, desiderant, « suum desiderium elevatione animi in Deum et ardore declarando. » Etenim Deus non attendit

ad labia quae movemus, neque aures suas directas habet ad verba quae proferimus, sed ad intentionem et cor nostrum respicit. B. Laurentius Justinianus ostendere volens quantum sit vera oratio, dicit: « Talis oratio cordis est, non laborum; nec enim precantis verba intendit Deus, sed orantis cor aspiciat. Quid oratio prodest strepitu laborum, ubi est cor mutum? »

9. — S. Thomas, in *Joh.*, optime notat, quod Christus paucis hinc verbis, septem insinuet bonae orationis conditiones: « Prima est, ut petantur bona spiritualia, et hoc cum dicitur: *Si quid*; quod est penitus terrenum, etsi in se sit aliquid, comparatum tamen ad spiritualia, nihil est. *Jer.*, iv, 23: *Aspexit terram, et ecce vacua erat.* » Quodsi obijcias ipsimum Christum nos in oratione quotidiana docuisse, etiam bona petere temporalia, dicendo, *Luc.*, xi, 3: *Panem nostrum quotidianum da nobis*; idem Angelicus Doctor respondet: « Temporale petitum relatum ad spirituale, jam est aliquid. Secunda conditio est, ut fiat cum perseverantia; et quantum ad hoc dicit: *Petieritis*, quasi perseverando. *Luc.*, xviii, 1: *Oportet semper orare, et non desicere.* 1 *Thess.*, v, 17: *Sine intermissione orate.* Tertia quod fiat cum concordia, cum dicit: *Petieritis*, in plurali, » citatque mox insinuatam S. Matthaei, xviii, 19, textum: *Si duo ex vobis, etc.* Nec non auctoritatem glossae in ultimo caput Epistolae ad Romanos, dicentis: *Impossibile est multorum preces non exaudiri.* Quarta conditio est: « Ut procedat ex filiali affectu, cum dicit: *Patrem*; qui enim ex timore petit, non est: *Ut fiat cum pietate, id est, cum humilitate, Psal.* x, 18: *Respexit in orationem humilium, et non sprexit precem eorum.* *Jacob*, iii: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* Et quantum ad hoc, dicit: *In nomine meo*, quod est nomen *Salvatoris*; in quo nomine petit, qui pertinentia ad salutem petit. Sexta, ut fiat tempore debito, et ideo dicit: *Dabit*; non enim oportet statim decidere, si non accipiat, sed profecto dabitur, ut magis crescat desiderium: *Tu das escam illorum in tempore opportuno.* Septima, ut petat pro se; unde dicit: *Vobis*, quia aliquando pro aliis non exauditur, contrariantibus eorum demeritis, pro quibus fit petitio; *Jerem.*, vii, 16: *Tu ergo noli orare pro populo isto.* »

Patrem.

10. — Non dixit *Deum*, sed *Patrem*; neque dixit: *Patrem meum*, eo quod jam Apostolos in oratione Dominica docuerat, ut *Patrem* in principio orationis sub hoc titulo invocarent: *Pater noster*; siquidem ut Apostolus, *Rom.*, viii, 5, postea scripsit: *Acceptis spiritibus adoptionis, in quo clamamus, Abba*

Pater. Porro Auctor Imperfecti causam assignat, cur aeternum Patrem sum a nobis Patrem, non vero Deum appellari voluerit: « *Patrem magis quam Deum voluit dici, et nobis magnam fiduciam daret ad petendum, et spem largam ad impetrandum.* » Chrysologus illa filii prodigi verba: *Surgam, et ibo ad patrem meum, ponderans, Serm.*, ii, dicit: « *Qua spe? qua fiducia? Illa qua Pater est; apud Patrem non intercedit extraneus, intus est in Patris pectore ipse qui intervenit, et exorat affectus.* » Idem sanctus Pater in sermone lxxi, de oratione Dominica ita scribit: « *Cum Patrem postulat, multa prece filius non laborat, sicut enim petere cogit necessitas genitum, ita urget charitas genitorem.* »

In nomine meo.

11. — Dionysius Carthusianus ait: « *Id est, per me Dei ac hominum mediatorum, per virtutem passionis meae, et merita omnium, quae pro humana salute assumpsi, feci ac petiuli; per incarnationem, conversationem, obedientiam, patientiam.* » Sancta Mater Ecclesia voluit ut omnes orationes nostras, quas coram tribunalibus Altissimi praesentamus, per merita Christi corroboremus, dicendo: *Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.* Unde Cajetanus ait: « *Novum modum petendi docet eos, quem hodie continue servat Ecclesia, opponendo petitionibus, per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.* Omnia opera nostra, quantumvis innumera sint et laboriosa, nihil valent, nec quidquam ad salutem prosunt, nisi meritis Filii Dei unita existant. Fratres illi post mortem Jacobi patris sui, ejus usi sunt nomine, eo quod illud apud Josephum efficax futurum esse existimabant, ad justum contra illos conceptum furorem mitigandum, ne videlicet ob venditionem personae ejus, ab ipsis turpiter et impie factam, nimirum indignaretur. Toletus ait: « *Est efficacissimus titulus huius impetrandi a Patre, duasque illius reddit rationes. Prima est, amor immensus, quo Pater Filium diligit; siquidem apud nos valde etiam efficax est affectus, quo erga amicos propendimus, quorum licet etiam absentium consideratione propensius nos ad multas praestandas gratias sepe numero experimur; et quidem si Deus Iudaeorum populo multos concedebat favores per antiquorum Patriarcharum merita invocatus, quanto magis illum nobis propitium futurum fore sperare possumus, dum ei per Filii sui merita supplicamus. Secunda ratio, quam adducit, fundatur in eximia sanctitate et meritis Christi: « *Morte enim et passione sua nostram obtinuit redemptionem; et proque omnium culpis abundantissime satisfecit, et omnium, quae a Patre impetranda et petenda erant, solvit pretium.* » Lucas Brugensis in eadem est opinione quod scilicet loqui voluerit de meritis*

passionis, cui se eadem nocte accingebat: « *Justitia seu meritis meis, meritis, inquam, incarnationis mortisque meae propositis, pro ratione et causa impetrandi per me, ut hominum mediatorem, qui promeruit hominibus salutem, dato pretio sanguinis mei.* »

12. — S. Gregorius, *Hom.* xxvii, nomen Christi considerat, quod est Jesus, idemque significat quod *Salvator*: « *Nomen Filii Jesus est, Jesus autem Salvator, vel etiam salutaris dicitur; ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet; nam si id, quod non expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur.* » Idem quoque S. Augustinus his verbis dicit: « *Non autem petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis; adducit S. Gregorius a Glossa citatus Apostoli exemplum, quod in contrarium huic Dominicae promissioni obijci posset; si enim nobis per aeternae Veritatis verba promittitur, obtenturos nos esse, quidquid in Filii nomine ab aeterno Patre postulaverimus, cur igitur Paulus tribus distinctis vicibus a fornicationis stimulo liberari petit; et tamen licet a Deo auditus fuerit, exaudiri non meruit, sed responsum ei fuit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* » Numquid ille tam egrogus praedicator in Filii nomine non petit? Quare autem non accipit, quod petit? Quomodo ergo verum est, quia quicquid petierimus Patrem in nomine Filii, dat nobis Pater? Tandem vero per supradicta verba concludit: « *Quia nomen Filii Jesus est, etc., et dicit: « *Pater* » lus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non prodesset ad salutem. » S. Prosper infirmi ejusdem similitudinem adducit, qui id a medico sibi praescribi aut indulgeri poscit, quod ejus nequaquam expedit saluti: « *Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitae, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur, quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam aegrotus.* » Promissio clemens Christi in nostrum favorem semper adimpletur, nec oratio nostra unquam in vanum eedit, sed potius preces et supplicationes nostrae favorabile semper scriptum obtinent, si non prout petimus, saltem in quantum nobis utile et proficuum futurum erit. Unde S. Bernardus, *Serm. de triplici modo orationis* ait: « *Unum de duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius.* »**

13. — S. Cyrillus Alexandrinus haec verba: *In nomine meo*, de accessu, quem mediante Filio ad Deum habemus, exponit; siquidem nullus alius modus superest, per quem aditus ad eum haberi possit: « *Se nimirum mediante, et una cum Patre largiente; id enim significat in nomine meo, nec enim aliter ad Deum et Patrem accedimus, quam*

per Filium, per ipsum quippe accessum habemus in uno spiritu ad Patrem, ut scriptum est, proindeque ait: *Ego sum janua, ego sum via, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* »

14. — Rupertus Abbas similiter postquam jam dictam observationem recensisset, nimirum quod Ecclesia cunctas suas orationes his verbis terminare solet: « *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc., subjungit statim: « *Quia videlicet praeter hanc nulla via, nullum est aliud ostium, ad quod respiciens efficaciter, deat: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, solum hujus unigeniti Filii Dei nomen, quod Jesus Christus, necessarium universae orationis vehiculum, quo in colium directo cursu per lata consistat ante Patris conspectum, salutemque de sinu ejus, et gratiam sugere valeat remissionis peccatorum.* »*

15. — Theophylactus, ut hos, qui temporalia tantum bona a Deo petunt, respicere faciat, hoc salutari monito illos instruit: « *Nullus ex his, qui mundana petunt aut animabus damnosa, in nomine Christi petit, ideo neque accipit; nomen enim Christi divinum est ac salutare: quando autem quis petit quae ad perditionem animae pertinent, quomodo dicemus, illum in salutari nomine petere? » Et ideo dum homo divitias a Deo petit, Deus illum non exaudit, quia illas novit illi futuras in laqueum diaboli; dum etiam alius ab eo sanitatem requirit, eandem minime obtinet, quia scit quod si sanus esset, valetudinem suam carnalibus voluptatibus impensurus esset; et sic de aliis discurrere universaliter, verum esse comperies, nihil eorum obtineri instantissime postulatum, quod ultimo fini, id est, saluti aeternae acquirenda nequaquam utile est, sed noxium.*

Dabit.

16. — Advertendum est quod *Salvator* in tempore futuro loquatur. Unde Dionysius Carthusianus ait: « *Dabit nobis, etsi non statim, tamen tempore opportuno, etsi non id, quod petistis, tamen aliquid melius.* » Quodsi enim a Principe aliquo ferrifodiam aliquam postulares, ille autem hanc tibi denegaret, ita tamen ut in locum illius ferrifodiam, vel gemmefodiam aliquam tibi concederet, te utique gratiam aliquam, ea, quam petieras, longe excellentiorem accepisse diceres. Nonne? Idem ergo nobis frequenter apud Patrem caelestem in signatura gratiae suae evenit: cum enim ipse nos tanquam dilectos filios suos diligit, ideo dum nos pro praesenti vita felicitatem aliquam ab eo requirimus, ille autem certo scit, felicitatem illam, si nobis concederetur, futuram nobis velut ensem in manu furiosi alicujus, imo aeternae damnationis nobis futurum esse instrumentum, potius nobis miseriam, infirmitatem, paupertatem, aliasque ad-

veritates immittit, eo quod nos regni celestis heredes facere, nosque de aeterna beatitudine assecurare malit. *Si sustinebimus, et coregnabimus.* Unde Jansenius ait: « Non recte petunt in nomine Christi, qui indigna petunt nomine Christi, qui presentia bona, aut malorum presentium depulsionem precantur absolute, et non sub conditione ordinis ad Dei gloriam, aut propriam salutem. »

17. — S. Augustinus ait: « Quaedam autem non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differruntur. » Sic enim dum infirmus in maximo febrili aestu constitutus aquam poscit gelidam, haec utique ei etiam iis, qui illius sunt amatissimi, negatur, sed ad ipsius salutem et utilitatem: at vero si usque ad mali declinationem expectet, facile ei indulgetur; siquidem tunc ei cedit in salutem et refrigerium. Et ideo Chrysostomus, *Hom. de prof. Ec.*, ait: « Si differt aliquando Dominus, non odio facit, nec te avertatur, sed differendo diutius se se conservare vult, sicut et patres filios indulgentius amantes, quo illis diutius apud se detineant, quos desides vident, dedita opera morantur aliquid dari. »

18. — Jansenius verbum dabit, ita explicat: « Nempe si recte et debite petierit, » adducit textum illum, *Sapient.*, vi, 11: *Qui custodierint iustitiam, iuste justificabuntur;* nec non et illum S. Jacobi Apostoli, iv, 3, locum: *Petit, et non accipitis, eo quod male petatis.* « Jam non recte petunt, qui non pro magnitudine ejus, quem petunt, et rei quam petunt, ardent, instanter, et reverenter petunt, quique non cum firma petunt fiducia. » Ecclesiasticus, xxv, 21, ait: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Et Deus apud Isaiam, i, 15, dicit: *Cum extenderit manus vestras, avertam oculos meos a vobis, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestrae sanguine plene sunt.* S. Gregorius quoque nos monet, *Hom. xxvii*, dicens: « Virtus verae rationis, est celsitudo charitatis, et tunc quisque, quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in petitione nec inimici odio fusatur. »

19. — S. Jacobus autem, i, 6, spem et fiduciam in oratione nobis inculcat, dicens: *Postulet autem in fide, nihil hasitans.* Unde S. Basilius ait: « Non recte petisti, quia ut dubitabundus, aut aliud agens petisti. » Oratio quoque cum bonae conscientiae rectitudine et cum honorum operum meritis conjuncta esse debet; unde Psalmista, *Psal.*, xvi, 1, dicebat: *Exaudi Domine iustitiam meam;* et paulo post subiungit: *Intende deprecationem meam.* S. Ambrosius verba illa Ecclesiastici, xviii, 23: *Ante orationem prepara animam tuam,* declarans dicit: « Ut id quod oras, mores tui loquantur, fides adjuvet, opera commendent. » Beatus Laurentius Justinianus similitudinem adducit vulnerati ejuspiam, qui in vulneribus suis ferrum, quo sanctiatus fuit, secum confert: « Nullum medicamentum pro-

« ficit, donec ferrum latet in vulnere; ita nihil prodest illius oratio, cujus voluntas versatur in scelere; » et ideo ob mortificationis defectum supplicationes nostrae saepe subsignaturam non sortiuntur; unde cum S. Ignatio de quodam diceretur, quod homo esset multae orationis, sive orationi multum addictus, is protinus subiungit: Sed non minus mortificationi deditus fuit: ideo etiam Chrysostomus, *Hom. v in Matth.*, ait: « Efficacissime rogat, qui seipsum illi, quem rogat, mortificatione crebra sacrificat. » Adhaec orationes nostrae constantes et perseverantes esse debent; unde S. Gregorius, *lib. XXXIV Mor.*, ait: « Virtutis pondus oratio non habet, quam perseverantia non tenet. » Et ideo mirum non est, si ob harum aliarumque conditionum defectum, petitiones nostrae nonnunquam non exaudiantur.

Vobis.

19. — Hugo Cardinalis ad illos se reflectit, quibus Salvator noster (tunc loquebatur, id est, ad Apostolos, et dicit: « Vobis Apostolis imitatoribus » meis; in hoc ostenditur, quales debent petere, « credentes scilicet et diligentes. » Et ideo Jansenius illis, qui se hac promissione defraudatos esse conqueruntur, respondet: « Observandum, quibus istud sit dictum, Apostolis nimirum et in illis his, qui illis sunt similes. » Notandum quoque, quod Redemptor noster paulo post dixerit, illos summa cum facilitate ab aeterno Patre suo impetraturos esse quod ab illo petierint, eo quod amet illos, quia ipsi amabant eum et in eum credebant; ex quibus verbis motivum quoddam elicit repellendi querimonias eorum, qui se non exaudiri lamentatur: « Qui ergo hac in parte similes sunt Apostolis, ad eos haec pertinet promissio, non autem ad eos, qui Christum avertantur; unde Propheta, *Psal.*, cxlv, 19: *Voluntatem, inquit, et timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* »

Additiones.

a. — Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quid his verbis dulcibus, quod opulentius, quod mirabilius? Si enim Rex aliquid, summa liberalitate erga familiare aliquem amicum uti vellet, quid illi amplius prestare posset, quam ejus postulatis omnibus lubens annuere? Sic Salomoni post magnificam illam tentam fabricam, post tam multarum sacrificia peccatum, Deus jubet ut quidquid vellet, postulet, *II Reg.*, ix. Elias Propheta Elisaeo discipulo migraturus ait: *Postula quod vis, ut dem tibi.* *IV Reg.*, n. Dominus vero noster, non uni alicui amico, non dilectissimis discipulis, sed omnibus in communi fidelibus, hoc spondet: iis scilicet, qui constanti pace ligati, una simul in ejus nomine caelestem Patrem deprecantur, ut ostendat quantopere pa-

cem curet, atque eandem quanti aestimet. Super quod sic fatur S. Hilarius: « In tantum humane paci et concordia Christus studuit, ut unitatis merito, omnia quae a Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet; et ubi duo atque tres, pari spiritu et voluntate collecti sint, ibi se medium eorum polliceatur futurum. Ipse enim qui pax atque charitas est sedem atque habitationem in bonis et pacificis voluntatibus collocavit. » Notandum vero est quod non dixerit in tempore futuro: *Ibi ero in medio*, sed in tempore presenti: *Ibi sum in medio eorum.* S. Paschasius ait: « Ubi ad concordiam omnes provocat; nunc exponit quem fructum exinde sint habituri; ita ut quidquid petierint, sint accepturi, Deumque medium semper in se habituri. » Origenes sequentem adducit similitudinem: « Sicut in musicis, nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem, sic et Ecclesia, nisi consensus habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum. » Consequenter ergo, ut congregatis nobis in nomine Jesu, sit Jesus in medio nostrum, Verbum scilicet Dei, et sapientia et virtus ipsius. Nec illud praeterea, quod non dixit, *in medio eorum ero*, sed *in medio eorum sum.* Ergo non medius futurus est, neque medius esse tardabit, sed mox ut consenserint, invenitur Christus in eis, quoniam et Christus confessus est ipse. » Altius profecto aspirare nequit humana praetensio, quam infallibilem quamdam securitatem in manu sua positam habere, quod scilicet sit in quacumque instantia seu sollicitatione exaudiendus, quodque habiturus sit infallibilem ipsiusmet Dei assistentiam et praesentiam. Hoc autem totum unionis et concordiae meritum obtinetur.

b. — Magna ex hoc loco orationis vis colligitur, quae majores vires habet quam praesumit humana temeritas. Nemo lanlum audeat, arroganter superbiendo, quantum oratio suppliciter rogando. Humilitas supplicantis, praeadacia superat elatos ausus superbiens. Oratio, humilis quaedam superbia est, divinus quidam vigor et supplex omnipotentia, non tantum humanas potestates superans, sed etiam in Deum quasi prevalens, quae non minus pie praesumit posse precum potentia, quam Deus tota sua omnipotentia. Quis tam insolenter superbit, ut consensu propria imbecillitate extiterit simul divina potentiae? Sola oratio de sua humilitate pie superbit, et eadem, qua Deus, omnipotentia gaudet, pissima impudentia. Sicine Deus delectatur humilibus precibus? Nihil mirum, quia superbis resistit, eosque detestatur. S. Augustinus de superbo scribit: « Superbus Deo est odibilis, et diabolo similis. » Quid censeret dicendum de lapide illo, qui dum in publica platea transentium calcatur pedibus a celebri sculptore assumitur, specialis artis suae industria dolatur, politur, ornatur; politus ex-

exquisita Imperatoris figura eidem sculpta insignitur; suo tamen artificio, qui tam nobili cum insigniviti forma, ingratus, non modo contra ipsum intumescit et insurgit, verum etiam ut pedum suorum scabellum ipsum esse et ponere praesumit ac praetendit? Talis est superbia et praesumptio vilissimae creaturae, quae nihil aliud est nisi lutum, vermis et pulvis, dum praesumit sibi Deum subjicere, divinisque suis legibus refragari, adversari, eique praesse et dominari.

c. — Magnifica haec est promissio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, digna plane divina Majestate, quam non solum hic quasi juramento astruit, sed et pluribus in locis repetit, et confirmat, ut *Joan.*, xv: *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petitis et fiet vobis.* Quid enim majus, vel avaritia hominum desiderare vel divina magnificentia polliceri debuit, quam ut voluntatem nostram, omniumque divinarum divitiarum mensura faceret, nec aliis finibus quam desideris nostris miserationes suas circumsciberet? *Quodcumque volueritis, quodcumque petieritis?* Si scilicet, in Christo manserint, et in petendo perseverantes fuerint. Perseverantia enim quae caeli porta est, merita nostra audaet et praemiat, semperque respicit ad statum hominis finalem: « Perseverantia et stabilitas in operatione, » ait S. Laurentius Justinianus, « patenter ostendit operantem in electorum numero computandam ac virtute perseverantiae esse redimitam. » Solum non perseverasse est amissae coronam. Idem, huic virtuti idipsum, quod Ecclesia magnae Dei Matri attribuit epithetum, dum ab ea vocatur caeli janua, Paradisi porta et regni introitus.

Ingeniosam apud Doctorem Seraphicum invenio observationem; siquidem ad illum Apostoli textum, *I Cor.*, ix, 24, se reflectens: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, ita scribit: « Sic de virtute tibus potest dici; nam virtutes ad regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliae, cleemosyna, abstinentia, patientia, sed sola perseverantia coronatur, nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Circa eadem verba: *Unus accipit bravium*, potest et alia instrui ponderatio, ut sensus verborum illorum sit: Is qui semper unus est, id est, is qui semper idemmet, non volubilis et in bono incepto instabilis, hic accipit bravium. Sicut enim nullum bonum opus est meritorium anti a Deo acceptatur, sine charitate et dilectione Dei, ita quoque nulla virtus, nec ullum bonum opus remunerationem expectare debet, nisi fuerit perseveratione conjunctum.

d. — Quid est quod celestis Dominus jubet ut discipuli petant? Quandoquidem ex divina sua omniscientia recte ipse noverat eorum necessitatem, ut melius ipse quam illi sibi possint consu-

lere? Nonne melius esset ut juberet eis aliquid dari quam ut præciperet ut ipsi postularent? *Beatus quippe est dare quam accipere.* Præterea, quia cum jubet eos pelere, egestatem et penuriam ostendit et faciem eorum confundit; miserorum enim est petere. Verum petere jubet, ut omnibus palam faciat quam gratus sit Deo zelus et quam mirifice recompensetur. Adeo Deo gratus et acceptus, nobis vero utilis et proficuum est zelus, ut iracundia et indignatio, ubi alias nos efficeret reos, in tribunali divinæ justitiæ, si transeat in zelum, gratiam et gloriam apud Deum nobis conciliet. *Ecod., xxxiv,* legimus Deum Moysi secunda vice tabulas legis consignaturum, hæc dixisse: *Et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quæ fregisti.* Quia primis tabulis digito Dei, per quem intelligitur Spiritus Sanctus, lex inscripta et incisa erat, et illas Moyses ad radicem montis ruperat et confrugerat; quis non credidisset Deum adeo offensum, ut in penam non extradidisset secundas? Imo quod me in admirationem rapit, illud est; etenim novimus quod Dens Moysen desperè reprehenderit non tamen affectum et amorem erga illum diminuerit, multo minus omnino deposuerit; imo specialem ei postea adhuc prestavit gratiam, ad quam manducandum anhelaverat, quod nimirum potuerit videre divinam essentiam, esto per modum transeuntis. Et quæ horum causa? Responsum in promptu est, ex quodam expositore depreptum: « Poterat quidem Dominus dicere Moysi ut arriperet duas tabulas « instar priorum, nec mentionem facere de illorum « fractione a Moysè; id tamen tacere noluit. Quare? « Noluit, quia illarum fractionis causam sibi fuisse « acceptam insinuare voluit, adeoque acceptam ut « ob illius amorem legis iterato daturum se impli- « cite dixerit. Ubi hoc implicite dixit? Hic, cum « scilicet fractionis tabularum meminit; ac si dixit: « set: Quoniam amore mei iratus es, ob quam « iram tabulas confregisti, igitur hujus a te frac- « tionis merito, legem iterum dare volo. Fractio « enim illa hoc beneficium meruit, quando quidem « causa mei facta est. Sicut ergo amore mei tabu- « las confregisti, ita amore tui, o Moyses, tabulas « reficiam, et scribam. Ergo quam salutaris est Dei « zelus, » cum fuerit causa quod divinam legem tabulis illis habeamus impressam ad perpetuam memoriam.

e. — Transiurus ex hoc mundo ad Patrem, Dominus prævidens Apostolos suos inde turbandos et quod eos in futurum manerent, magne tribulationes, quas etiam doloribus parturientium comparavit, efficacissimum eisdem adversum cuncta adversantia remedium dereliquit, cum ad orationem frequentandam incitavit. Siquidem, ut belle D. Gregorius Nyssenus, *lib. de Orat. Dom., orat. 1,* tractat: « Est oratio reorum et causa dicentium « patrona; noxiarum et vincitorum relaxatio, atque

« solutio; fatigatorum requies, meritorum consolatio, gaudentium animi delectatio. » Et S. Basilus, in *Proemio ad Psalmos*: « Psalmus est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas et fluctus « tentationum compescens, iracundiam mollit; Psalmus amicitiae conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio; Psalmus daemones « fugat, auxiliares Angelos advocat; in nocturnis « terroribus securitas, in diurnis laboribus requies « est. » Vicariam ergo absentiae suæ constituit Dominus orationem, ut Apostoli solatiis, quod ex ejus presentia hauriebant, æquidem ex oratione nanciscerentur. Ideoque horum exemplo, in omni tribulatione ad orationem recurrendum est, eo quod afflictorum preces sint efficacissimæ.

f. — Poterat Apostoli in gravem quamdam difficultatē incidere testificationem, ex eo quod qui Christum secuti fuerant, eique servierant ab illo tandem deserendi essent. Sed huic malo tanquam providus occurrit medicus, pissimus Salvator, hæc facta promissione quod quicquid petiti essent Patrem in nomine suo, eis daturus esset. Unde dicit: *Amen, amen,* id est, certissime ac in veritate vobis promitto; quod *amen,* Divus Augustinus ait idem valere ac juramentum. *Dico vobis* Apostolis ac discipulis meis intime ac veraciter mihi adhaerentibus; secundario vero, omnibus fidelibus cujusque gradus ac conditionis, meorum Apostolorum vere imitatoribus, qui in Ecclesia et servitio Dei pro gloria mea desudabant, quod spiritualibus illis omnia restaurabo donis ac consolationibus.

Nimiam, qua Deus dilectas sibi consolatui animas, teneritudinem hæc in Isaiâ reperimus expressam verbis: *Ad ubera portabimini et super gremia blandientur vobis; quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Ubi Glossa inquit: « Modo aquila, modo gallina, modo matri blandienti se comparat, ut vos saltem blanditis alliciat. » Experientia teste, nutrices infantium fletu, cantu et officioso manillarum lacte demulcent et abstergunt. Eandem erga nos afflictos Deus servat methodum, dicente Hugone Cardinali: « Consolabuntur vos, blande vobis loquentur. Sicut « nutrix parvulo ploranti blanditur et frangit vocem suam loquens et blandiens puero. » Animas propter Deum afflictas, propter Deum mortificationi, propriæque voluntatis abdicatio vacantes interior multiplex delineare solet illustratio et spiritus suavitas. *Sonet vox tua in auribus meis,* dilectissima quondam Sponso suo applicabat anima. Ast quare? *Vox enim tua dulcis.*

g. — Christus Dominus potens apud Patrem advocatus esse volebat, teste S. Joanne, qui ait: *Advocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Jesum Christum justum.* Ille nunc ad Patrem rediturus, ut quid petamus, invitat, significans se non minorem in oculis curam habiturum nostri quam

gesserat vivus in terris. Quia sive in terris, sive in caelis, sive quocumque nos vertimus, semper in nos beneficis existit.

h. — Singulariter hic quatuor notanda sunt, videlicet: quales debeant petere, quid, quomodo et a quo debeant petere. *Si quid petieritis;* id est, si aliquid quod sit verum, ac solidum, ac proinde conduens ad vitam æternam ac ad bonum spirituale animæ; nam temporalia, tanquam nihil sunt, ac pro nihilo reputanda. Unde nemo miretur si transitoria petens ea non impetret. Hæc enim non sunt aliquid, sed omnino nihil. Regum sapientissimus Salomon, cum regio suo throno in pulpitem seu magistralem cathedram mutato, ex imperatore prædictor factus, de mundanis deliciis, gaudiis et prosperitatibus verba facturus esset, post adhibuit omnem sapientiæ et faciendi suæ conatum, aliud non habuit nisi quod de illis omnibus diceret: *Vanitas vanitatum.* In principio namque libri Ecclesiastes, ita loquitur: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.* In capite autem secundo postquam omnium gaudiorum, deliciarum et prosperitatum quibus perfratus fuerat, longum quemdam contexisset catalogum, tamen ita concludit: *Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem et nihil.* Quoniam putas nomine Deus noster provincias et nationes quæ mundis tanti æstimat, per os Isaiæ appellat? *Eccc,* inquit, *gentes quasi stilla stillicis et quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei.* Quibus obscuro basibus seu quibus fundamentis Deus noster terram hanc innitit voluit? Audite Jobam, *xxvi, 7,* dicentem: *Appendit terram super nihilum.* Sapiens, in *libro Sapientie, xi, 23,* ingentem hanc mundi machinam sequentibus indigat epithelis: *Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* Verum ex quo in Epistola S. Joannis celebrem illam mundi divisionem habemus: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ;* quicquid enim est in hoc mundo, vel ad voluptates, vel ad divitias, vel ad honores adæquate reductur, ideo ut nihilum hoc in omnibus hujus mundi bonis, ab ignorantia et cæcitate humana, tanto opere desideratis, tanto evidentius agnosceret valeamus et videre quanta cum veritate homines dicere possint: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus,* omnia præfata bona per ordinem breviter consideremus.

Et quidem si voluptates carnales respiciamus, quam subito et velociter evanescent? Insuper iis degustatis, nihil præter memoriam et conscientie remorsum gravius cruciantem, reliquum manet. Divitiæ quam sint vane, ex illis Psalmi *lxxxv, 6,* verbis deduci potest, quibus dicitur: *Dormierunt sonnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

Similiter honores et dignitates, sceptrata et monar-

chiarum imperia nihil sunt. *Confidunt in nihilo,* inquit Isaias, *lix, 4,* et loquantur vanitates: *conceperunt laborem, telas aranæ texerunt.* Aranea non dormit, nec manducat, sed tota die et nocte ad rete suum conficiendum sese evaserat; et quoniam fine? Non alio quam ut muscam aliquam capiat. Eadem quoque est multorum vanitas, qui toto vitæ suo decursu, desudant ac laborant, ut ad hanc vel illam dignitatem pertigere possent, quæ nihil aliud est, quam fumus quidam ad modicum parens: *Deficientes, quemadmodum fumus deficient.* *Psal. xxxvi, 10.*

i. — Justam conquerendi causam habet Deus de nobis, cum nos admiserit in filios, et tamen minus fidamus quovis filio. Anima enim nostra creata fuit, non nudo verbo creatoris, sicut alia opera, sed cum ejusdem consilio, quia spiraculo oris sui illi esse tribuit, eique corpus ad eorum erectum plasnavit. Unde merito homo omnem in Deo fiduciam suam collocare debet, in quo solum et extra quem nullam satisfactionem invenit nec quietem. S. Ambrosius in libello qui *de dignitate conditionis humane* inscribitur, ita scribit: « Tanta dignitas « humane conditionis esse cognoscitur, ut non « solo jubentis sermone, sicut et alia sex dierum « opera, sed consilio Sanctæ Trinitatis et opere « Majestatis divine, creatus sit homo, ut ex primo « conditionis honore intelligeret quantum deberet « suo Conditori, ut tanto ardentius amaret Condi- « torem, quanto mirabilis se ab eo esse conditum « intelligeret. »

j. — Christus collegio Apostolico et toti fidelium congregationi dicere voluisse videtur, ut eum ille in mundum veniens, in persona propria eundem restauravit, conservavit et sustentavit, ita nunc ab- sens, illud quoque promittit se facturum, sed mediante oratione. Deus causam, ob quam mundus in ruinam abit, significare volens, jussit ut Jeremias Propheta populo Israel annuntiaret, ac demum omnibus posteris ejus in scripto relinquere, *Jerem., xn, 11,* quod videlicet defectus orationis unica causa sit, quæ populis extremum exterminium immitteret: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde;* scilicet: « Quo- « modo ira Dei possit orationibus resistere, » inquit Hugo Cardinalis; atque ideo jure dici potest quod oratio sustentet mundum, eumque suffulcat, ne per ruinas evertatur. Celebris est textus ille Jobi: *Sub quo curreantur, qui portant orbem.* At vero quoniam sunt illi qui adeo robustos habent humeros, ut ad totum universum portantur et dirigendum sufficere possint? Et quid mirum est si sub tanto pondere curventur? S. Hieronymus hunc locum de servis Dei exponit, qui per efficaciam orationum suarum furori Dei resistentes, efficiunt, ne terra dehiscat et in totalem ruinam abeat. Prædictis Jobi verbis optime consonant illa Cantici Anna

matris Samuelis : *Domini sunt cardines terræ et posuit super eos orbem.* Qui enim sunt hi adeo fortes et validi cardines, ut super illis amplissima mundi sphaera volvi et revolvī possit? S. Hieronymus legit : *Afflicti terra.* Similiter Rupertus Abbas notat quod *cardines terræ* in Hebræo idem significant quod *afflicti terra.* Unde ait : « Pauperes spiritu et humiles corde intelliguntur, super quos Dominus mundi intercessionibus Sanctorum qui in hac præsentī vita afflicti et contempti sunt commendavit. Unde S. Hilariō a superiori Spiritu illuminatus, S. Antonium Magnum, non sine mysterio hoc epitheto salutavit : « Pax tibi columna lucis, quæ sustinet orbem terrarum. »

k. — Magnam consolationem, magnaque documentum Christus hic dat Apostolis, ut eo absente, utantur oratione ad impetranda omnia quibus egent, a Patre suo. Ipse enim, qui erat Sacerdos secundam ordinem Melchisedech et summus Pontifex, assidue interpellabat Patrem pro nobis; nunc vero cum Apostoli omnes post Ascensionem suam in ordine sacerdotali ejus futuri essent successores, hoc illis officium demandavit, ut jugiter se in oratione exercentes orant et intercedant pro populo. Omnibus in sacerdotio constitutis hæc quoque salutaris est doctrina.

Notatu dignissimum, in præsentī, Dei præceptum factum olim omnibus divino se cultui consecrantibus : *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestrae,* quasi eos, priusquam sacro inungerentur oleo, in orationibus, ritibus et ceremoniis sacris exerceri voluisset, quod pariter in tempore, juxta Josephi Hebræi testimonium, sua nunquam deponebant vestimenta aut ornatus sacerdotales, neque ulli domesticæ aut terrænæ se implicabant sollicitudini. Origenes ecclesiasticos a tabernaculo ad imitationem Moysis et Aaron minime elongandos docet, sed orare indesinenter. Alias quoque inter regulas quas S. Carolus præscribat, hæc facile eminebat : « An in orationis sanctæ studio usque versatus; quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret, qui orationis modus, qui illius fructus, quæve utilitates; quot quibusve partibus illa constet, quæ regula preparationis ad orationem. » S. Hieronymus in antiquo quodam canone ubi sæcularem et clericalem distinguit, ita inquit : « Mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu contemplationi cessare convenit. » S. Chrysostomus temporalium cessare convenit. » S. Dispensator pariter ita Sacerdotem depingit : « Dispensator divini verbi et celestis doctrine propagator, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper neque a Dei oculis recedit unquam, qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, instituit im-

petrata, ex homine totus in Angelum substitutus. »

l. — Christus Dominus potentem semper apud Patrem suum cœlestem pro nobis advocatum egerat; nunc vero a nobis discessurus, non minus id de se verificari volebat, quod ex eo S. Joannes testatur : *Advocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Jesum Christum justum.* Unde ut confidenter pelamus, inculcat, significans se non minorem nostri curam gesturum in cœlis, quam olim gesserat in terris, quia sive in cœlis, sive in terris, semper in nos beneficis exiit; in cœlis quidem per communicata auxilia gratiæ; in terris vero per creaturarum productionem in hominis beneficium.

S. Paulus, *1 Tim.*, 1, 12, ait : *Gratus ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit;* quibus verbis duo præcipue beneficia agnoscit, primum videlicet beneficium gratiæ divinæ, quæ se confortatum fatetur. Unde alibi inquit : *Omnia possum in eo qui me confortat; non ego, sed gratia Dei necum.* Alterum est quod vocatus fuerit ad fidem : *Fidelem me existimavit.* S. Gregorius Nazianzenus, discursum suum ad animam christianam dirigens, inquit : « Agnosce unde habes quod sis, quod spes, quod ratio ac mente utaris, quodque maximum est quod Deum cognoscas, colorum regnum spes, honoris æqualitatem cum Angelis, gloriæ contemplationem, nunc quidem in speculis et ænigmatibus, tunc autem pleniorum ac puriorum, quod Dei Filius, Christi coheres, atque ut audacter loquar, Deus etiam factus sis : unde tibi hæc omnia et a quo? » Propheta regius, postquam sphaeras cœlestes super nos extensas et magni illius palatii totius universi ob hominem fabricati testidinem contemplatus fuisset, dicendo, *Psal.* viii, 5 : *Quoniam video cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti, in admirationem et stuporem raptus, supremum illorum factorem his verbis alloquitur : Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; gloria et honore coronasti eum. Cum enim Angeli ad hoc a Deo destinati sint, ut orbem cœlestes in nostrum beneficium volvant et tanquam custodes nobis inservant, juxta illud : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, illos nobis inferiores esse necessario sequitur. Imo ipsemet Dei Filius naturam angelicam non æque ac humanam sibi assumere et cognatam facere voluit : Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* S. Thomas super illa verba : *Coronasti eum,* inquit : « Coronari est regum : Deus fecit hominem quasi regem inferorum, et est gloria, scilicet claritas divine imaginis, et hæc est quadam corona hominis. *1 Cor.*, xi, 7 : *Vir imago est et gloria Dei.* » Cajetanus in Hebræo vertit : *Et deificare fecisti eum modico a diis* significatur per hoc tanta hominis exaltatio quod*

« parum deficit a Deo. » Observat autem D. Chrysostomus Davidem primo nobiliorum meminisse creaturam, scilicet, solis, lunæ, stellarum, posteaque subjungere : *Omnia subiecisti sub pedibus ejus;* quia scilicet universa creatura propter hominem est, ideoque David, ut idem subnectit sanctus Doctor, taliter discurrit, ut prudenter et grate, pro toto orbe terrarum agens gratias.

m. — In nomine Jesu petere est eo modo petere, quo ipse petiit; magna autem Christus in suis orationibus usus est reverentia et humilitate, quæ maxime in oratione necessaria est. Rem alieno exemplo declaro. Valde metuebat Jacob fratrem suum Esau, venientem ei obviam, rogabatque Deum dicens : *Minor sum cunctis miseracionibus tuis et veritate tua quam explevisi sero tuo. Erue me de manu fratris mei Esau.* Gen., xxxii, 10. Cur ita se deprimat, ac se indignum judicat, acceptis a Deo beneficiis? Cur non potius sua erga Deum commemorat obsequia? Ex afflatu divini Spiritus orabat Jacob, ut liberaretur ab Esau. Quod ut impetraret, ex humilitate adjuravit. Oratio quidem efficax est, si tamen humilitati fuerit conjuncta.

Propheta Regius suas, *Psal.* cxiv, 1, exauditas esse gloriatur instantias dicens : *Excitavit Dominus vocem orationis meæ, inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo; moxque subdit : Circumderunt me dolores mortis et pericula inferni invenierunt me; tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi;* hincque maxima iterum cum confidentia, replicat dicens : *O Domine, libera animam meam.* Sed qui tandem hujusmodi Prophetæ spes innitebatur infallibilis? Ecce vobis fundamentum : *Humiliatus sum, et liberavit me;* quia scilicet veritas est catholica, quod *oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Exod., xxxv, 21.

VERSUS 24.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.

1. — Dionysius Carthusianus nihilominus considerat, discipulos Salvatori multas petitiones summa cum instantia proposuisse; etenim S. Philippus ei dixerat, *Joan.*, xiv, 8 : *Ostende nobis Patrem et sufficit nobis.* Omnem quoque conjunctim hæc ei supplicationem paulo ante cœnam presentaverant : *Adiure nobis fidem;* similiter filii Zebedæi primas regni sui sedes ab ipso postulaverant; ac demum dubium non est, quin orationem Dominicam, quam ab ipso edocti fuerant, recitarint : « Quomodo ergo nihil petierunt in nomine Christi? » querit Carthusianus. Moxque respondet : « Dicendum, quod nullus petit in nomine Christi, nisi Christum vere cognoscat, eumque Salvatorem perpendat; Apo-

« stoli autem hucusque nullam fidei stabilitatem habuerunt de Christi divinitate, et de cæteris ejus mysteriis; propterea Christus non negat se « exoratum ab Apostolis, sed quod nihil petierint « Patrem in nomine suo, quia non recte senserunt « de Christo in omnibus, præsertim quantum ad « ejus divinitatem. » Quam eandem considerationem diu ante Rupertus Abbas posuerat, dum ait : « Nondum perfecte novant eum, licet crederent « vel conflerentur eum Christum Filium Dei vivi; » nondum enim mysterium redemptionis nostræ, ipsumque Deum inter et nos mediatorem esse, qui apud æternum Patrem suum cœlestes nobis gratias impetraturus esset, novant : « Proutinde non petierant quidquam hactenus in nomine ejus, sicut « dem nec ipse hoc illis ante hanc horam suæ « passionis mandasse invenitur, quamquam multa « in plerisque locis de orationis instantia sui locuta « tus. »

2. — Jansenius dicit : « Petere in nomine Christi, « est petere cum invocatione nominis Christi, hoc « est, potentiæ et meritum ejus; » quomodo Deum hactenus nunquam rogant, quia tametsi dum hæc diceret, merita inexhausta haberet, nondum tamen tormenta passiois et mortis sue passus fuerat. Lucas Brugensis dicit, Apostolos quidem a primis annis juxta usum et consuetudinem legis Mosaicæ orare solitos fuisse, estque verisimile satis orationem quotidianam, quam Dominicum vocamus, eo quod ab ipsomet Christo ipsorum Magistro ipsis tradita fuisset, ipsis valde fuisse familiare; Christus autem hic dicere voluit : « Nihil hactenus « orastis in nomine meo, scilicet tanquam redemptoris vestri, et mediatoris inter Deum et hominem, id est, propositis Deo meritis mortis meæ « pro causa impetrandi. »

3. — S. Gregorius, *Hom.* xxvii, Christum hæc dixisse ait : « Ac si aperte diceretur, non petistis « in nomine Salvatoris, quia nescitis querere æternam salutem; pensate petitiones vestras, videret « si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis « æternæ postulatis; in domo enim Jesu, Jesum « non queritis, si Deum æternitatis in templo im- « portune pro temporalibus oratis. »

4. — S. Thomas, in *Catena*, verba hæc duobus modis exponit : « Vel quia in nomine meo non « petistis, quod nomen, non, sicut cognoscendum « est, cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam « nam in comparatione rei, quam petere debuistis, « pro nihilo habendum est quod petistis. » Etenim duo illi Apostoli germani fratres primas in ejus regno sedes postulaverant; et omnes alii ipsam rogant : *Quis eorum videretur esse major,* aliæque similia et tamen verissimum fuit quod dixit : *Usque modo non petistis quicquam,* id est, ut Jansenius ait, « in comparatione rei, quam petere debuissent, « pro nihilo habendum erat quod petierant. »

Petite et accipietis.

5. — Quanta esset aulicorum vel subditorum potentissimus alicujus Monarchæ, qui omne id posset quod vellet, felicitas, si talis Monarcha ipsemet ore suo unumquemque illorum invitaret et extimularet ad favores et gratias ab eo postulandos, eisque per æternæ veritatis verbum promitteret dicens : *Et accipietis*. Quot memorialia et supplicationes in Principum temporalium tribunalibus in vanum porriguntur, nec unquam sum assequuntur intentum ! Imo advertendum hic est, quod nulla prorsus inter verbum *petite*, et inter verbum *accipietis* sit distantia, ad denotandam promptitudinem, facilitatem et securitatem, qua exaudiendi sumus. Unde S. Ambrosius de verbis filii prodigi : *In se reversus, etc., dicitur ei : Pater, etc.,* ita scribit : « Occurrit tibi, quia audit te intra mentis secreta tractantem ; et cum adhuc longe sis, videt et accurrit. »

6. — Quod si dixeris : Promissionem hanc non videri infallibilem esse, eo quo multi id, quod postulant, minime consequuntur, Toletus per adductam S. Augustini auctoritatem respondet dicens : « Aliquando Deum exaudire petitiones nostras, dum negat et renuit facere quod petimus, quod tunc fit, quando petimus ea, que putamus utilia nobis futura, sed revera non sunt, sed potius noxia, tunc concedere petita potius est punire, et nostræ intentioni et desiderio repugnare. »

7. — Idem Toletus locum illum, *Joa., xv, 17*, citat, in quo eadem Sapientia incarnata, qua modo nos invitat, dicendo : *Petite et accipietis*, dicit : *Si feceritis quæ præcipio vobis et verba mea in vobis manserint, quocumque volueritis, petetis, et fiet vobis*. Et ideo Tertullianus scribit, quod usus ille, quo sub orationibus manus in altum extendere solemus, servetur in testimonium innocentie conscientie nostræ.

8. — Idem quoque Docteur observat quod verbum hoc, *Petite*, sit præceptivum. « Præceptum Christi ; jussu enim ab eo petimus Patrem ; ad ea namque verba se reflectit, dum hoc dicit, quod Sacerdos pronunciare solet, priusquam in Missa orationem Dominicam recitet : « Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audeamus dicere : *Pater noster*, etc. Est enim promissio facta nobis a Christo impetrandi a Patre. »

Ut gaudium vestrum sit plenum.

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis hæc verba de gloria Paradisi interpretatur : « In quo autem plenum esse poterit nisi ut veniamus et appareamus ante faciem Dei ? Omne namque gaudium mundi hujus deceptivum, et omnis risus ejus erroneus est ; solum autem de visione Dei, et risus faciei ejus presentis plenitudinem habet, et in veritate est. » *Intra in gaudium Domini tui,*

dicetur cuius animæ electæ, quia status beatitudinis omnia bona, omniaque imaginabilia gaudia continet : « Ibi erit quicquid voles, » inquit S. Augustinus ; et S. Bernardus, *Serm. de triplici genere bonorum*, dicit : « Beatitudo est, ubi nihil sit, quod nolis, et ubi totum sit, quod velis. » Causa autem, cur in coelesti patria omne id futurum sit, quod volumus et desideramus, est, quia Deus, qui obiectum est beatificæ visionis, ibidem animæ nostræ unitus et conjunctus erit : « Quid tibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest. »

10. — S. Bernardus in hac valle lacrymarum constitutus, gaudium illud considerans, quo hodie in Paradiso voluptatis perficitur, dicit, *Medit., iv* : « Delectabilis est Deus ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfrundum. » In visione, comprehensione et fruitione anima imperceptibilia et inexplicabilia gaudia experietur, *Apoc., ii, 47* : *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. Manna olim omnes in se saporibus continebat, omne delectamentum, intellectus autem creatus hac mortali carne circumdatus ad illud capiendum perlingere nequit. S. Bernardus de Deo dicit : « Ipse per se placet et per se sufficit, quia totum in illo invenitur, quicquid desideratur. » Regius Propheta David cum modico illo lamine, quod in statu legis Mosaicæ de Paradisi gloria habuit, calami sui ductu nobis suavitatem et gaudium illius exprimere volens, *Psal. xxxv, 9*, ait : *Inebriabuntur ab uberale domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Mellifluus Bernardus ad gloriæ illius immensitatem explicandam, similitudinem alicujus stillæ aquæ, in vastum ambrosiæ et nectaris, vel vini generosissimi mare projectæ, adducit, hæc enim utique hisce liquoribus permixta in illos transmutanda, primitivamque substantiam suam amissura esset. Unusquisque cœlitum fruetur et perfundetur in celo gaudiis et beatitudine sociorum suorum ; imaginemini igitur vobis, quantum tibi futurum sit gaudium, ubi tot sunt Angelicorum spirituum, animarumque beatarum myriades, imo millionum milliones. Unde S. Anselmus ait : « Quocumque unumquisque sicut se alterum amabit, sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit ; quot et quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot et tantis beatitudinibus jubilabit ! »

11. — S. Thomas, in *Cat.*, verba illa de gaudio spirituali, ad carnalis gaudii distinctionem explicat : « Hoc quod dicitur *gaudium plenum*, non carnale, sed spirituale gaudium est et quanto tantum erit, et ut aliquid ei jam non sit addendum, tunc erit plenum. »

12. — Alcuinus verba illa explicat de gloria : « Ac si patenter dicat, non fluxa sæculi gaudia, quæ et merces semper mixta et dolore finiendæ sunt ; sed illud singulare gaudium a Patre petite, et cujus plenitudo nullo ejuslibet inquietudinis

« affectu minuatur, æternitas nullo unquam termino dissolvatur. »

13. — Advertendum hic est, quod non solum nos ad hujus gaudii consecutionem postulandum invitet, verum etiam id videatur præcipere, id quod cum illis verbis consonat : *Quærite primum regnum Dei* ; et in oratione Dominica nos pariter ita orare præcepit : *Adveniat regnum tuum* ; justissimam etenim ipsam petendi habemus causam, siquidem Paradisus pro nobis fabricatus esse noscitur : *Possidete paratum vobis regnum* ; et ad regnum istud consequendum anima nostra a Deo creata fuit : « Creasti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » In terris ad sceptræ et regna aspirare crimen est læsæ majestatis ; contra vero ad regnum Dei non anhélare, illudque non affectare, reos non facit mortis æternæ, nosque ejusdem Dei inimicos constituit. Observandum proinde est, quod sapientissimus Magister noster Christus, postquam dixisset, jussissetque ut regnum illud immortale ante omnia, et præ omnibus aliis queremus, ne forte ex eo, quod pretensio hæc hic in terris inter nos poena mortis, ut diximus, castigari soleat, timore aut metu mali alienijus ex illis regni immortalis pretensione, nobis obtenturi percelleremur, protinus subjunxit : *Nolite timere, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* ; Deus enim in illa re adeo sibi complacet, quam quod nobis regni hujus possessionem concedat et investituram : *Complacuit*. Unde Rupertus Abbas ait : « Cum dicitur : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*, illa tantummodo petenda « esse innuit, que proficiant ad visionem Dei, in quo solo plenitudo gaudii est. » Ad hunc ultimum finem omnes nostre ordinandæ sunt petitiones, ad hunc, velut ad centrum omnia dirigenda sunt desideria, cogitationes et opera nostra.

14. — Alcuinus modum nobis tradit, quo gaudium istud indubitanter consecuturi sumus ; dicit enim : « Si ergo talia petendo persisteritis, procul a dubio, que petitis, accipietis, si mores menti concordant petentis ; parum enim utilitatis affert, « bene orando superna querere, qui non desistit, « perverse vivendo, infimis implicari. »

Additiones.

a. — *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*. Ex ipsomet textu sacro Evangelij liquet quod Apostoli multa a Christo postulaverint ; nam Jacobus et Joannes, per matrem, petierunt primas sedes, *Matth., xx, 20*, Petierunt item discipuli, ut adangeret eis fidem, *Luc., xvii, 5*. In nomine quoque Christi eiecerunt demonia : *Domine, etiam demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*. *Luc., x, 17*. Cum ergo tanta ac tot postulaverint, quomodo eis dicitur a Christo : *Usque modo non petistis quidquam ?* Ratio est, quam tradit noster D. Cyrillus

Carmelita, *lib. II, cap. vii*, quod Apostoli a pueritia consecuerant orare more consentaneo legi Moysis. Judæi autem Deum orabant, ab eoque postulabant que opus erant, sed non in nomine Christi, que illis primario quidem necessaria darent intentio, quam Deus tamen rectam et in oratione et in omnibus intendit operibus.

b. — *Usque modo non petistis quidquam*, dicit Jesus Apostolis, quia sic semper debemus a Deo petere, petitionibus instare, ac ab illis nunquam cessare, ac si nihil esset petitum a nobis ; sed semper magis petendum est, quoad usque plenitudinem gaudij habeamus : *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*. Non una parte contentus sit homo, sed satagendum est ad totum tendendum, id est, instanter et perseveranter semper orandum. Grata est Deo instantia et importunitas nostra in oratione : *Quis ex vobis habebit amicum*, dicit Dominus noster, *Luc., xi, 8*, et *ibid ad illum media nocte et dicit : Amice, surge et commoda mihi tres panes. Et si ille perseveraverit pulsans, propter improbitatem surgens dabit, etc.* Et immediate subjungit : *Et ego dico vobis : Petite et dabitur vobis ; querite et invenietis ; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui querit invenit, et pulsanti aperietur*. Ex quibus verbis clare deducitur Christum hoc sine hac tradidisse doctrinam, ut nos in oratione doceret constanter perseverantiam, quodque Deo in precibus molesti et importuni esse debeamus. Homines quidem quantumcumque sint benigni et humani, altamen quando importune sollicitantur, preces clientum suorum fastidium, eorumque importunitate ad indignationem provocantur. Non vero item Deus, qui gaudet, dum nos sollicite et importune petere videt. S. Bonaventura de *perfectu religiosorum* disserens inter alia documenta hoc quoque illis tradit : « Non propterea a prece cessandum est, quia Deus non acceptat ; sed eo instantius orandum est, quia Deus probat per hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam et remunerat afflictis patientiam. » In dubium revocari nequaquam potest, quoniam oratio Isaac Deo acceptissima fuerit, specialiter pro causa illa pro qua supplicavit ; quia divinam promissionem suam de posteritate populi electi continuanda adimplere non potuisset, nisi uxor ejus prole fecundata fuisset : *Deprecatuseque est Isaac Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis ; qui exaudivit eum et dedit conceptum Rebecce*. At vero dices : Si Deus Isaac pro filio sibi impetrando rogantem exaudivit, cur filium ei dare viginti annis distulit ? Nam ut D. Chrysostomus ait : « Viginti annis perseveravit orans et deprecans Deum ; et tunc tandem assecutus est quod desiderabat. Si enim quadraginta annorum erat, quando Rebeccam duxit, sexaginta vero quando illa peperit, manifestum est quod viginti annis perseveravit orans Deum. » Respondetur